



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibent Benè Vivendi
Et Benè Moriendi**

Balde, Hendrik

Ipris, 1689

72. Cap. Allaborandum, ut idonei operarij mittantur in vineam Domini.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56447)

CAPVT LXXII.

*Allaborandum, ut idonei operarij mittantur
in vineam Domini.*

NEquaquam sufficit preces fundere, Sacrificia missæ offerre, ut Sanctificetur nomen Dei, ejusque adveniat regnum; manus insuper operi admovenda, cunctaque adhibenda adminicula, quæ ad gloriam ejus propagandam conducunt.

Posteaquam Deum oraverimus, ut dignetur Ecclesiæ suæ donare Sacerdotes probitatis atque eruditionis laude præstantes, danda est opera, si in nostra sit potestate, ut Ecclesiastica munia, Episcopatus, Pastoratus, &c. dignissimis, maximeque idoneis viris conferantur, omni affinitatis, amicitia, emolumentum proprium, aliarumque humanarum rationum seposito affectu.

Quantum hæc res ad divinam gloriam augendam momenti habeat, nemo non videt.

Si huic rei sedulo invigilaretur, reperirentur etiam nunc viri eximij & vigilantissimi: enimvero exigua, quæ circa hanc rem habetur cura, satis deplorari non potest.

Conferuntur aliquandò pastores, cathedrę, sacra tribunalia unius dumtaxat epistolę commendatitię impulsu, nullã in mores, probitatem, eruditionem eorum, qui commendantur, factã disquisitione.

Hinc non rarò contingit, ut inter eos, qui curam habent animarum, inveniantur, qui munus suum negligunt, & subditos pravis exemplis offendunt, propriisque student commodis; & turpi lucro inhiant, neque Dei, sed suam gloriam querunt. *Ministri Christi sunt,* inquit S. Bernardus, *& serviunt Antichristo.*

Quanta inde proveniant mala, quanta animarum perniciës, non difficulter unusquisque assequetur. Præstitisset hujusmodi homines opificio addiscendo in juventute fuisse applicitos; sic censet S. Bernardus *bonum erat magis, federe aut mendicare.*

Dei Filius de hujusmodi agens Sacerdotibus in revelationibus S. Brigittę (a) merito exclamat; *Vae talibus, quod unquam vati fuerunt, ipsi enim profundius cadunt in infernum, quàm aliquis alius.*

Non solùm illi censendi sunt rei, qui, cum idonei non sint, Ecclesiastica tamen munia ambiunt; verùm & ij, qui ineptos

I

in-

(a) L. 4. c. 135.

indignosque ad illa promovent: est profectò, cur utrique horam mortis reformident; etenim horrendum illis imminet iudicium.

Deus ab ipsis reposcet eorum animas, quas in Cælum perducere potuissent, si munere suo rectè fuissent functi. Tot merentur tartareos ignes, quot animas perire sunt passi.

Dæmon, ut refert *Ludovicus de Saxonia*, accedens quemdam divini verbi præconem, etiamnum ignorantem, quid esset dicurus, cum tamen ad nonnullos Abbates verba cum facere oporteret, compulsus est à Deo hæc illi dicere. Hoc dixeris nec plura, *Princeps inferni, Ecclesie Principes salvere jubet: gratias illis agimus universi, quòd illorum incuriâ penè totus ad nos orbis confluat.*

Is erat fortè tum Ecclesie Præsidum lucuosus status, qui alijs temporibus, multò minùs nostris, talis (laus Deo) nequaquam est.

Vnuiquisque, qui, dum potest, non allaborat, ut boni & fideles operarij in Domini vineâ admittantur, manifestè ostendit, nullo se divinæ gloriæ tangi desiderio; eiusmodi enim ad Ecclesiasticorum officiorum gubernacula admoveere, efficacissimus

cissimus est modus, ut ubique Dei nomen
Sanctificetur, ejusque regnum adveniat.

CAPVT LXXIII.

*Eodem opere peccatoribus & Fidelium Defun-
ctorum animabus opitulari possumus.*

Bonum ac imprimis laudabile est, ab-
stinentiæ, vigilijs, orationibus se dare,
rem divinam ad aram offerre pro impetran-
da peccatorum conversione, præsertim
eorum, qui per universum orbem in ago-
ne luctantur, non sine gravi æternæ dam-
nationis periculo; siquidem extremâ ur-
gente necessitate, extrema atque effica-
cissima sunt adhibenda remedia.

Sed longè melius est ac laudabilius,
ijsdem illis operibus etiam animas flam-
mis piacularibus detentas adjuvare; nam
hæc duo rectè fructuoseque semper con-
jungi queunt.

Cuilibet hominis justî bono operi vis
inest promerendi, satisfaciendi & impe-
trandi.

Operum nostrorum meritum, id est,
gratiæ, gloriæque incrementum in alios
derivare, Deo sic volente, neutiquam
valemus; id enim non fieret, nisi cum